



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

49. An Confessarius si in actu confessionis dicat pœnitenti Se io fosse
secolare, vi prendere por moglie, sit denunciandus tanquam solicator? Et
an interpres confessionis, si sollicitet pœnitentem, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Quod hos
avos casus
lege doct.
precedentis
Ref. & sup.
ref. 43. &
inf. Ref. 81.
post med. a
verf. qui etiā

nis popit, etiam in terminis aliarum Bullarum ante constitutionem Gregorianam. Primò, si femina sub Crucis signo velit peccata detegere, & à Confessario interrumpatur ad turpia sollicitante. Secundò, si filiam spiritalem, hoc est, ex precedentibus confessionibus notam ad gehēna procumbentem ante Crucis signum præoccupet Confessarius sollicitans.

RESOL. XLVI.

An Confessarius audiens in confessione mulierem incidisse in aliqua peccata sensualia, insequens illam descendentem paulo post ab Ecclesia, & in itinere illam sollicitat, incidat in penam, & sit denunciandus?

Et quid, si ante discessum ab Ecclesia talis Confessor feminam sollicitaverit? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 7.

Sup. hoc sup.
cursum in fin.
Ref. 40. sed
lege eam
per tot.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Laurentius de Peyrinis in privileg. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregor. XV. scilicet. 2. num. 2. ubi sic ait: Occasione confessionis diceretur sollicitare Confessor, qui audiens mulierem in confessione, tamque levem ibi cognoscens, lenonem paulo post additæ mulieris vestigia insequenda mitteret, tamque domum intrantem sollicitaret, seu etiam in itinere. Ita ille, qui pro hac sententia citat Iacobum de Giassis; & ita hanc sententiam novissimè docet etiam Lezana in summ. quæst. regular. cap. 19. num. 34. vir quidem doctus, & amabilissimus.

2. Sed tu cogita, nam secundum aliquos si Confessarius diverit ad alios actus, in dicto casu sollicitatio neque moraliter, neque physice inceptit in locis prohibitis à Pontificibus, ergo, &c. licet Confessarius utatur scientia confessionis, non tamen, ut dictum est sollicitat penitentem in locis prohibitis sollicitare, ergo non incidit in penas Bullæ, neque denunciandus erit. Imò putant neque Pontificias Bullas contravenire, si ante discessum ab Ecclesia talis Confessor feminam sollicitaret, dummodo id efficeret extra tempora & loca in Bulla Gregor. XV. contenta. Et ita sentiunt docti recentiores à me consulti, & præsertim aliqui Magistri Illustrissimæ Societatis Iesu, quia prætextus confessionis, de quo agitur in Bulla, debet esse proximus, non autem remotus à loco & statu confessionis, ut docet Soula opusc. de Confessor. sollicit. in addit. num. 10 & de occasione idem dicendum putant. Sed ego in hac quæstione de meo nihil asserere volo.

RESOL. XLVII.

An sit denunciandus Confessarius, qui tribuit penitentem chartam in confessione; postea tamen legendam, in qua ad veniorem sollicitabat? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 2.

Sup. hoc sup.
in Ref. 40.
cursum pro
p. fin. verf.
Confessari-
um.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Ioan. Sancius in selectis disp. 1. num. 31. ubi sic ait. Confessarius penas Brevis non effugiet si chartam continentem sollicitationem tradat feminæ penitenti, quamvis non statim legendam conferat. nam cum traditur charta, incipit sollicitatio, & injuria fit Sacramento, quo monendum erat penitenti vitam in melius mutare, instrumentum conferatur, quo laucietur. Ita ille.

2. Sed contrariam sententiam iudicat probabilem novissimè Castr. Palas tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 4. num. 2. si charta non immediate post susceptum Sacramentum legatur, sed transacto jam tempore, quia talis chartæ traditio est solum causa sollicitationis, non verò

sollicitatio, non enim tunc quando traditur charta, movetur penitens ad malum, ut supponitur; ergo tunc non sollicitatur, sollicitatio namque est motio voluntatis alienæ, cum autem non moveatur penitens voluntas in confessione, sed extra, quando sollicitat legit chartam, efficitur in confessione non fuisse factam sollicitationem, ac proinde non fore ex obligatione denunciandum. Cæteras rationes videbis apud Castrum Palaum.

3. Et ad argumentum non tactum à Castr. Pala quod ex negativa sententia daretur aulæ, & occasio Confessariis sollicitandi penitentes fraudando legem, & eludendo cum hac inventione penas inflitas adversus eos in Bullis Pontificiis, forte quis posset respondere ex doctrina doctiss. Emanuelis de Moura in opuscul. 1. de enfal. & incant. sect. 3. cap. 3. num. 18. quod Confessarius in committendo delicto si sibi caveat à circumstantiis quæ illum submittunt Inquisitionibus, faciuntque delictum enormius, hoc non est facere fraudem legi, sed facere opus prudentie humanæ & cautelæ, quo magis fidem proficitur.

4. Verum his non obstantibus tu ne recedas à sententia affirmativa Sancij, quia talis sollicitatio moraliter incepta fuit in confessionario, quando Confessarius tradidit chartam postea legendam feminæ. Et ideo adversus sententiam negativam, quam priorius ego improbo, meritò novissimè insurgit Sagandæ de præcept. Eccles. in editione novissima, pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 62.

RESOL. XLVIII.

An penitens, qui ignoranter accusavit se in confessione habuisse animum peccandi cum ipso Confessario, unde ex hoc illam sollicitavit, teneatur dictum Confessarium denunciare? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 10.

§. 1. **R**espondeo affirmativè cum Bonacina in tract. var. disp. 6. punct. 3. num. 17. ubi sic ait. Feminina non obligatur ex vi constitutionum Apostolicarum ad denunciandum Confessarium, cui expressè, vel tacitè suum libidinofum animum erga ipsum significavit, ut ipsum ad peccatum induceret, & Confessarius occasione inde arripit turpem aliquem actum cum ea exercendi. Hoc tamen intelligitur, modò femina turpem suum amorem Confessario significet animo ipsum provocandi, tunc enim ipsa dicitur sollicitare Confessarium, non autem ab ipso sollicitari secus si hoc aperiat Confessario animo confitendi, seu accusandi se de gravi illo affectu, & Confessarius aniam inde assumat exequenda libidinis, tunc enim Confessarius dicitur sollicitare penitentem. Ita Bonacina.

RESOL. XLIX.

An Confessarius, si in actu confessionis dicat penitentem, se io fuisse secolare, vi prendere por moglie, si denunciandus tanquam sollicitator?

Et an interpret confessionis, si sollicitet penitentem, sit denunciandus?

Et alia curiosa dubia notantur circa crimen sollicitationis, & adducuntur diversi casus in textu hujus Resolutionis, sed jam ferè omnes magis latè in suis specialibus Resolutionibus nunc sunt transcripti, & assignati in hoc quæst. sonnet tractatu. Ex part. 9. tract. 9. & Misc. Ref. 32.

§. 1. **N**egative respondet Bordonus in sacro Tribunal. c. 23. qu. 3. n. 54. quia dicta verba nullum dicunt

eunt peccatum ad minus mortale, & quia solum explicant impudicum affectum erga mulierem.

2. Sed tu cogita, quia dicta verba sine aliqua occasione in confessione dicta videntur maxime excitativa ad venerem; & cum sint impertinentia ad confessionem, sapiunt sollicitationem; callidus enim, & perfidus Confessarius paulatim vult illam incipere, & mulierem allicere, sicut si laudaret illam ex pulchritudine, non sunt mala, nec explicant impudicum affectum: verum si sine aliqua occasione proferuntur à Confessario, esset denunciandus, ut vult ipsemet Bordonus, ubi supra, *quest. 8. num. 59.* ergo, &c. Ideo, ut dixi tu cogita, & recognosce Escobar de *Sollicit. part. 1. quest. 3. num. 38.* ubi docet, me citato, quod dum non ita certum sollicitationis sensum verba continent, ut trahi aliquo modo possint in bonam partem, posse Inquisitores vocare Confessarium, & cum circa intentionem interrogare.

3. Nota etiam hic, quod dictus Pater Bordonus, loco citato, *quest. 16. numero 74.* docet, Confessarium, qui consensit sollicitationi à muliere sibi factæ, non esse denunciandum etiam in terminis Bullæ Gregorij XV. quia verba Bullæ comprehendunt colloquia de rebus turpibus sine ordine ad provocationem, aut de lenocinio peragendo à penitente. Preterea illa verba referuntur ad Confessarios autores inhonestorum sermonum, ut colligitur ex verbo, habuerint, quod sine dubio refertur tantum ad Confessarios. Ita ille contra Trimarchum; cui adde Baldellum *tom. 2. l. 2. disp. 63. n. 34.* & Trullench in *decal. tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 18. num. 53.*

4. Sed ego puto, sententiam nostri Siculi Patris Trimarchi viri docti, & amicissimi esse tenendam, quam ante illum ex Soufa docui, & novissimè, me citato, tenet Illustrissimus Inquisitor Escobar à Corro in *tract. de Confess. sollicitat. part. 1. quest. 3. num. 44.* & noster concivis doctissimus Pater Ioseph Augustinus in *brevi notitia, &c. Titulo de Confess. sollicit. num. 4.* ubi sic ait: Tenentur penitentes revelare Confessarios sollicitantes, etiam si penitentes fuerint primi in miscendis sermonibus inhonestis, aut Confessarios sollicitaverint, dummodò Confessarii consenserint, & habuerint inhonestos sermones: nam in Bulla prædicta constat sufficere ad hanc denunciationem, si Confessarius habuerit cum penitente illicitos, & inhonestos sermones, aut tractatus, nec excipitur casus, in quo ipsi non fuerint primi, sed satis est si inhonestos sermones habuerint. Ita ille; cui adde à fortiori meipsum in *part. 4. tractat. 5. resolut. 4.* Et ita ego testor, quod sententia contra Bordonum, & alios observatur in praxi in nostra inquisitione Hispanica, & quod etiam observetur in hoc Tribunali Sanctæ Inquisitionis testatus mihi est nunquam satis laudatus Dominus meus Illustrissimus Franciscus de Albicis Sancti Officii Assessor, & Reverendissimus Confessarius Pater Ioan. Baptista à Martinengo, ambo viri docti, & amicissimi. Puto tamen supradictum Confessarium esse mitius puniendum.

5. Sed quid dicendum de interprete confessionis, an scilicet, & si solliciter penitentem sit denunciandus? Negativè responder Bordonus *quest. 14. num. 69.* contra Trimarchum. Sed pro Trimarcho stat novissimè Escobar à Corro ubi supra, *part. 1. quest. 2. num. 31.* quia Interpretes accedunt ad Sacramentum in casu necessitatis, ut Sacer Medicus per intelligentiam verborum perveniat in cognitionem morborum, & antidotum opportunum adhibeat, quod in mortiferum venenum reddit interpretes sollicitans cum tanti Sacramenti notoria injuria. Tum quia est medium inter Sacerdotem, & penitentem in ipso Sacramento, & debet velut principalis iudicari ratione dependentiæ, saltem quoad hunc effectum, *argum. text. in l. tunc in iure 12. de penit. Tom. V.*

legato, Menochius de *retinend. remedio 1. n. 149.* Valenzuela *conf. 18. num. 78.* & seq. Tum quia negari non potest, nisi quod prætextu confessionis sacramentalis, & veræ, sollicitet; quod sufficit ex *adv. decreto.* Tum quia concurret ad confessionem, & cognoscit peccata per ordinem ad eam; & ita afficitur effectibus confessionis, ut sententia est communis omnium loquentium de sigillo, *cap. Omnis de panit. & remissionib. & pater ex pluribus, quos allegat Martin. Bonacina; de Penitentia, disp. 5. q. 6. sect. 5. punct. 3. n. 5. pag. 172.* quibus adde alios per plures apud Dianam, *5. part. tr. 1. l. de sigillo Confess. fol. 48.* Tum denique quia coipso quod permittitur accedere ad Sacramentum habetur pro Confessario interpretativè saltem; quod sufficit præcipue, quia adest identitas rationis in comprehensione, ita Freitas ad Acugniam, *q. 13. n. 27. & 28.* quæ mihi videtur probabilior, maxime atenta nova Gregorij XV. Constitutione, ex qua dubitari de hac opinione meo iudicio non potest. Hucusque Escobar.

6. Nota verò quod licet me citato asserat Leandrus, de *Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 13. q. 40.* non esse denunciandum confessionis Interpretem ex vi constitutionum Pij IV. Clementis VIII. Pauli V. & Greg. XV. tamen aliunde dictum Interpretem verè subijci iudicio Dominorum Inquisitorum, eò quod & injuriam faciat Sacramento, & suspectus videatur in fide. Et hoc etiam docet Fagundez in *Decalogum lib. 6. cap. 12. num. 23.*

7. Observat etiam Bordonum loco citato, *n. 66.* contra Trimarchum asserere Sacerdotem jurisdictione carentem, si sollicitet in confessione non esse denunciandum, quia Constitutiones Pontificiæ loquuntur de Sacerdotibus deputatis, & habentibus curam animarum, ergo in dictis Constitutionibus non includuntur Sacerdotes simplices. Verum pro Trimarcho à fortiori facit Escob. ubi sup. *n. 27.* asserens. Laicum simulantem se esse Confessarium, si sollicitet fecimam in confessione, esse denunciandum vigore Bullæ Greg. XV. cum talis sollicitatio fiat prætextu, ac simulatione confessionis: ergo comprehensa manet in Bulla Gregoriana. Verum licet Leandrus ubi supra, *q. 37. 38. & 39.* asserat, laicos, Subdiaconos, & Diaconos, v. l. Sacerdotes carentes jurisdictione sollicitantes in confessione, non esse ex vi prædictarum Constitutionum denunciandos, posse tamen ab Inquisitoribus puniri, tanquam suspectos de fide. Vide Bossium in *Discept. Mor. disp. 5. num. 4.* qui citat omnes meas Resolutiones circa præsentem difficultatem.

RESOL. L.

An si Confessarius det aliquod donum mulieri in confessione, dicatur illam sollicitasse, ita ut sit denunciandus? Ex p. 9. tract. 9. & Misc. 4. Ref. 34.

§. 1. Affirmativè respondet Trimarchus, *tract. de Confess. sollicit. disp. 2. sect. 4.* Primo quia ex Ledesma, & Paramo, sollicitatio fit per donorum largitionem. Secunda, quia dona magis quàm verba alliciunt. Tertiò mulier non est pauper, neque annulum perdidit: ergo nihil aliud cogitare potest, nisi Confessarium habere affectum libidinosum erga se: ergo tunc tentatur ad libidinem.

2. His tamen non obstantibus, novissimè doctus Pater Bordonus in *Sacro Tribunali; cap. 23. q. 10. n. 61.* negativè sententiæ adhæret: tum quia donum ex sua natura non ordinatur ad venerea; ergo de se non est signum, aut factum sufficiens ad arguendum sollicitationem ex quo tollitur primum argumentum Trimarchi; estò enim dono fieri possit sollicitatio, ea tamen

LI non

Quænt est in col. tr. 8. ref. 39. & in ref. not præteritæ §. 1. in fin. & ibi in ref. 33. ult. cursum in vers. Tertio. & iterum ibi in tr. 3. ref. 78. §. ult. ad med. vers. interpretes.

Sup. hoc inf. in ref. 86. & 87. & in alio vers. earum notationum projilla quæst.

Sup. hoc inf. in ref. 84. & cursum in alia ejus præmæ annor.